



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm**

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.  
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,  
Regum ...

**Trithemius, Johannes**

**S. Galli, 1690**

De Harderado hujus Monasterij Hirsaugiensis quarto Abbate, qui præfuit  
annis XXVII. mensibus VIII. diebus XIX. & gestis illius temporis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38550**

De Harderado hujus Monasterij Hirsaugienſis  
quarto Abbate, qui præfuit annis xxvii. mensibus viii.  
diebus xix. & geſtis illius temporis.

Harderado  
fit Abbas.

**R**ost voluntariam & liberam resignationem Domini Regenbodonis Reverendissimi, atque sanctissimi Viri, convenientes in unum Fratres, Pastore amantissimo jam, ut ita sit dictum, viduati, communi assensu in Abbatem hujus Monasterij Hirsaugienſis quartum unanimiter elegerunt, Harderadam quendam venerabilem Monachum, scholæ monasticæ Magistrum, in omni genere doctrinæ singulariter eruditum, annorum ætatis ferme quatuor & triginta. Ita electio facta est anno Dominicæ Nativitatis præscripto *DCCCXC*. Indictione Romanorum octavâ, die verò Kalendarum duodecimo, quo & antecessor ejus officio simul cessit ac dignitate, sicut antehac jam supra diximus. Præfuit autem Harderadus Abbas in regimine, pastoralis annis 27. mensibus 8. diebus 19. Natione fuit Teutonicus, patriâ Francus orientalis, honestis parentibus ortus, qui ordinem Monasticum sub Gerungo Abbate intravit adolescens, in quo deinceps tantâ sinceritate vixit, tamque promptus & voluntarius ad omnem obedientiam semper extitit, ut Placidus à cunctis quasi alter haberetur. Nec immeritò quidem. Humilitate fuit præcipuus, patientiâ constans & firmus, mente placitam Deo & hominibus conservans in omnibus mansuetudinem, & innocentiam & puritatis amicam. Nemo mente turbatum vidit unquam, nemo illum aliquando reperit otiosum. In scripturis tam divinis, quam humanis fuit studiosus atque doctissimus, omnium judicio dignus & idoneus, qui post mortem præceptoris sui Richbodonis Scholæ præficere-tur Monasticæ, fieretque cæterorum Magister Monachorum simul & institutor. Qui mox ut Abbas ordinatus fuit, ne præceptor necessarius deesset in Monasterio discipulis, de consilio fratrum scholæ Magistrum præfecit Luthelmum doctissimum in omni scientia Monachum, patriâ Suevum, humilibus quidem natalibus ortum, sed eruditione scripturarum cunctis tunc fratribus meritò venerandum. Magnam eruditionis suæ laudem obtinuit, & multorum institutor Monachorum fuit.

Patria Har-  
deradi &  
mores.

*DCCCXCI.*

Amalricus  
fit Episcop.  
Spirensis.

Anno Harderadi Abbatis primo, obiit Eynhardus Episcopus Spirensis in ordine quartus decimus: cui Amalricus Monachus Cœnobij Wissenburgenſis successit, & præfuit annis duobus, mensibus quatuor: vir doctus & prudens, qui reliquit nonnulla ingenij sui monumenta.

Harderado  
timet Nort-  
mannos.

Anno prænotato Nortmanni denuo collectis viribus cum magno exercitu Romanum Imperium devastare cœperunt: memorésque cladis ab Imperatore susceptæ, se omne regnum illius deleturos comminabantur. Harderadus itaque Abbas audiens vires resumpsisse Nortmannos, metuensque futurum eorum ad partes Rheni, sicut postea contigit, adventum; & timens ne locum S. quoque Aurelij Hirsaugienſem destruerent, quod cum multis alijs Cœnobijs antea fecerunt, sapienti fratrum usus consilio restudinem in Ecclesia subterrancam fecit, in qua corpus san-

pus sanctissimi Præsulis Aurelij cum tabula, inscriptionem nominis & dignitatis ejus continente, tantâ subtilitate abscondit, ut considerari penitus à nullo mortalium posset in eo loco quicquam esse repositum. Ungaris autem Nortmannis in turbatione totius Imperij Romani postea succedentibus, atque per multos annos bellis & perturbationibus in Alemannia nimium multiplicatis, repositorium sanctarum reliquiarum in oblivionem omnium devenit; & latuit sub terra corpus venerandi Pontificis absconditum, per annos centum & septuaginta usque ad tempora Comitis Adalberti, de quo suo loco dicemus.

*DCCCXCII.*

Anno Harderadi Abbatis secundo Stephanus Papa quintus obiit, cui Formosus Episcopus Portuensis in Pontificatu succedens, præfuit annis quinque mensibus sex, qui Arnulfum postea in Imperatorem coronavit. Qui Papa multas à Romanis contumelias & injurias pertulit, qui non solum in viventem, sed etiam in mortuum graviter sævierunt. His diebus multa in cælo miranda in diversis locis apparuerunt. Etenim visæ sunt imprimis acies quasi igneæ ab oriente in occidentem discurrere, ac impetum rursus in meridiem ordinare. Terræ motus in diversis locis fuerunt horribiles, cruces apparuerunt in cælo & ignes, quibus portentis nimium tremuere mortales, ultimum instare diem mundo existimantes: sed fuerunt hæc miranda futurorum tunc malorum indicativa quædam prænuntia, quæ paulo post per Nortmannos & Ungaros sunt subsecuta.

*DCCCXCIII.*

Anno Harderadi Abbatis tertio, obiit Amalricus ex Monacho Episcopus Spirensis, cui successit Bernhardus, & præfuit annis 18. vir strenuus & consilio cautus ac prudentissimus, qui & ipse Monachus fuit.

Anno quoque prænotato Nortmanni pervagantes Galliam in magna multitudine venerunt usque ad Rhenum, prædam, incendia & interfectiones hominum ubique sine miseratione agentes. Oppidum quoque Bingionum, tunc ab alia parte fluminis Nahæ situm in planicie verticis montis, injecto igne funditus destruxerunt, cunctis habitatoribus, qui ante non fugerant in nemora, crudeliter interemptis. Post Nortmannorum recessum, qui remanserant in nemoribus cives, ad oppidum reversi, desolatum penitus invenerunt. Habito inter se consilio non in eodem loco, sed transfluvium Naham reedificare oppidum statuerunt, quò inter prædictum fluvium & Rhenum, ut hodie cernitur, positum direptioni amplius facile non pateat inimicorum. Porrò Nortmanni à Bingionibus moventes exercitum Castellum Ducis quondam S. Ruperti, quod Osterburgium dicebatur, in Nagavio situm juxta villam Stauronesum, vulgariur Creußenach, capientes simili furia destruxerunt, omnesque in circuitu vicos in favillam redegerunt. Fuit autem Castrum illud in planicie situm in eo loco, ubi nunc est Ecclesia S. Kyliani quondam, Parochialis: cujus murorum quædam particula nostris ibidem adhuc videtur temporibus, reliquum verò loci spatium partim agricultura, partim vini cultura obtinuit. Inde moventes exercitum Nortmanni Gaviodorum castellum videlicet S. Rufi, quod juris tunc erat Ecclesiæ Merensis, funditus everterunt, incensis & desolatis in omni circa regione villis & hominum mansionibus cunctis. Post hæc ad Moguntiam castra moventes,

Formosus  
præfuit an-  
nis sex.

Bernardus  
fit Episcop.  
Spirensis.

Bingen de-  
struitur ab  
Nortman.

Osterburg  
& Cruze-  
nach simi-  
liter.

tes, aqueductum illum pretiosum atque magnificum, per quem de villa, quæ propterea Fontheim vocabatur, copia influebat aquarum in castellum civitati proximum, Schonberg dictum, ubi postea Monasterium S. Jacobi per Archiepiscopum quendam Moguntinum erat constructum. Castrum deinde occupaverunt prædictum, quo tandem obrento funditus destruxerunt. Postremò etiam civitatem ipsam incendio subverterunt, omnibus quos repperunt, interemptis. A Moguntia venerunt ad Wormatiam, quæ semper Imperatoribus fidem servare consuevit inviolatam, quam tandem obtentam, igne consumpserunt, interfectis habitatoribus cunctis. Ibi etiam Sonderoldus Moguntinæ Ecclesiæ sanctissimus Archiepiscopus à Nortmannis crudeliter occisus est, sexto videlicet Kalendas Julij, quæ fuit mensis Junij dies xxvi. Anno Christianorum prænotato octingentesimo nonagesimo tertio, indictione Romanorum undecimâ. S. autem Sonderoldo in Pontificatu Moguntino successit Hatto Monachus Fuldensis, vir obscuro quidem genere natus, sed ingenio subtilis & acutus, qui difficilè posset discerni, melior consilio fuerit an peior, & præfuit Ecclesiæ Moguntinæ annis xxi. Anno etiam præscripto Farabertus Abbas Brumienfis in dissensione Regum Gallorum Abbatiam suam resignavit, cui Regino ejusdem Cœnobij succedens præfuit annis sex; vir certè tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris doctissimus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula ad Adalberonem Metensis Ecclesiæ Præsulem Chronicon satis conveniens à Nativitate Domini usque ad annum ejusdem nongentesimum octavum. Ad Archiepiscopum quoque Trevirorum compertavit ex Decretis SS. Patrum de disciplina Ecclesiastica duo volumina: quæ capitulis ferme nongentis per ordinem sunt distincta.

Anno prænotato Fulco Rhemorum Archiepiscopus. Ratbodo quoque Trevirensis, Hatto Moguntinensis, Hermannus Colonienfis, cum suis suffraganeis, & multis alijs Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, atque Nobilibus Galliarum primâ die mensis Februarij convenientes Rhemis in Ecclesia sancti Remigij, Carolum puerum necdum septem annorum, ultimi Regis Caroli filium, de quo supra diximus, ex stirpe Caroli Imperatoris Magni descendantem, Regem totius Galliæ tripartitæ creaverunt, & purpuratum regio more per civitatem circumducunt. Et ex Celtica quidem pauci ejus partes sequebantur. Ex Belgica vero penè omnes pro rege illum devotissimè susceperunt. Quod factum Otto Rex comperiens, quem ante quinquennium constituerant propter Nortmannos, ut supra diximus, Regem Gallorum, qui tunc in civitate morabatur Petragoricensi, dissimulabat injuriam, nec reditum propterea maturabat. Tandem vero rediit Neustriam ingreditur, urbemque Turonicam petens, S. Martinum donis honorat regalibus, ac deinde Parisium receptus, Ecclesiam simili donatione honorat S. Martyris Dionysij. Deinde fluvio Matrona transmisso Belgicam ingreditur, & receptus in oppido, quod Fara dicitur, nimiam anxietate mente turbatus insomnietatem continuam incurrit. Quæ cum nimium succresceret, & omnino dormire non posset, in mentis alienationem incidit, & ex ea tandem anno Regni sui decimo mortuus fuit, apud S. Dionysium regio more sepultus. Carolus itaque puer Rex creatus, Galliam omnem cum tempore obtri-

S. Sonderoldus à Nortmannis occiditur.

Regino fit Abbas Brumienfis Doctor.

Carol. puer fit Rex Gallorum.

Otto Rex Gallorum injuriam dissimulat.

Otto Rex Gallorum infans moritur.

obtinuit, & annis xxvi. regnavit, ac postea per desertores Principes in carcerem apud Peronam conjectus miserabiliter decessit. Et fortè per omnia felicior extitisset, si in uno, quod memoriae commendare operæ pretium fore censuimus, nimium non errasset. Nam cum multâ benignitate Principes coleret, præcipuâ tamen & singulari amoris prærogativâ unum colebat Haganonem nomine, quem ex mediocribus potentem effecerat, adeò ut magnatibus quibusque procul stantibus ipse regio lateri solus adhereret: pilcum etiam de capite Regis multoties raptum, palàm sibi imponeret: aedes verò sibi suisque; audacter deputaret: ad suum quoque jus retorqueret, quæcumque regij juris esse viderentur. Et ut rei summa paucis dicatur, ad integrum nihil præter suum velle in rerum negotijs à Rege disponebatur: tanta fuit vis patris malefici, tanta penès Haganonem virtus incantationis. Fertur enim, quòd cujusdam Sueffionicae mulieris maleficio Regem sibi allexerit, seque Regi præ omnibus diligendū tantâ maleficæ confectionibus aptaverit. Quod cum ad multorū notitiam pervenisset, rapitur tandem malefica, & ad confessionem malefici tormentis urgetur. At illa tormentis facta constantior, vim maleficii pertinaciter negavit; & dum acriter torqueretur, ita fertur cum cachiño respondisse tortoribus: *Cedite viri, ac fortiter percutite, quia non me, sed equam Ranthei verbera ladunt, quæ mihi inferre putatis; Ecce, videte, quàm sint omnia corporis mei membra sana penitus & intacta.* Tortores, & hi, qui propè astabant, cernentes omnia sana, vehementer admirabantur, & currentes quidam ex eis ad Rantheum, ejus in pascuis equam plagis, & verberibus enormiter casam, & cicatricibus plenam invenerunt, tantaque contusam multitudine vulnerum, ut surgere à terra penitus non valeret. Interrogare, qui fuerant missi, Rantheum, unde hæc tanta vulnera equæ provenerint. At ille, *hodie, inquit, sanam integram, & intactam dimisi ad pascua, unde verò hæc illi acciderint, penitus ignoro.* Tandem primates comperto Haganonis maleficio, ac vehementissimè indignantes, Regem adeunt, & de tanto hominis scelere validissimè conqueruntur, asserentes hominem obscuris parentibus natum, regiae dignitati multum derogare, cum ac si Nobilium indigentia ipse tanquam consultus Regi assistat, & nisi ab hujusmodi consuetudine quiescat, sese à Regis consilio jam deinceps penitus discessuros. Quorum admonitionem Rex contemnens, à suo dilecto nequaquam discedere voluit, quod ei paulatim succrescens in malum, gravem intulit calamitatem; Etenim facti indignitate moti recesserunt ab eo Henricus magnus Dux Saxonum, & Rupertus Dux Galliarum, cum alijs multis Principibus, atque Nobilibus, quod ultimum tandem Carolo fuit exterminium. Erat autem Dux ille Rupertus Frater Othonis quondam Regis Gallorum, qui Regi Carolo nimium infestus propter Haganonem, sibi usurpationem totius regni promittebat, & multos sibi fautores quotidie adjunxit. Unde malum imprimis moliebatur in Fulcone Archiepiscopo Rhemorum, qui Regem Carolum à cunabulis educaverat, & in regnum, sicut dictum est, promoverat. Putabat enim, quia Fulcone vel interempto, vel è medio quovis ingenio sublato, regnum se facilius posse obtinere. Id etiam apud Baldwinum Morinorum Principem desertorem Regis admodum agitabat. Morinorum principalis civitas eo tempore Atrebatensis, in qua est Abbatia sancti Ve-

Hagano fit  
Regi male-  
ficio cha-  
rus.

Mulieris  
maleficiū.

Haganonē  
noluit Rex  
dimittere.

Fulco Rhe-  
morum Ar-  
chiepiscop.  
occiditur.

daſti Ordinis noſtri quondam nobiliſſima. Rex in odium Baldevvini deſertoris Atrebatum obſidione cingens in deditiōnem accepit. Abbatiam ſancti Vedaſti memoratam Fulconi Archiepiſcopo Rhemorum donatione regali conceſſit. Unde majori veſaniâ concitatus Baldevvini, Fulconem Archiepiſcopum in itinere conſtitutum ad Regem, trucidari per ſuos ſatellites crudeliſſimè mandavit. Sepulto autem Fulcone Reverendiſſimo Rhemorum Archiepiſcopo, Henricus donatione regiâ, & Episcoporum conſenſu in locum ejus Archipræful ordinatus eſt. Ambo fuerunt magnifici, ac Religioſiſſimi Viri, quorum vitam & mores integerrimos Flodoardus Presbyter dictæ Rhemeniſis Eccleſiæ ſufficienter proſecutus eſt, in libro, quem ab urbe condita de ejuſdem Eccleſiæ Pontificibus uberrimè deſcripſit. Sed & Richerus Monachus Rhemeniſis in libris de geſtis Gallorum, quos edidit ad Gerbertum ex Monacho Archiepiſcopum Rhemeniſis Eccleſiæ, multa de actis per eos complexus eſt. Anno etiam præſcripto Nortmanni poſt cædem in Rhenanos patratam per Euphaliā revertentes in Galliam, denuo Cœnobium Brumienſe Ordinis noſtri quondam celeberrimum ſpoliantes incendio concremârunt, interficientes Monachos, & familiam quotquot invenire potuerunt. Abbas autem cum paucis fugâ elapſus ab interitu ſalvatus eſt.

## DCCCXCIV.

Anno Harderadi Abbatis quarto, Indiçtione Romanorum duodecimâ, obiit Sigehardus Abbas Monasterij Fuldenſis, vir per omnia magnificus, cui Hugo Monachus ejuſdem Cœnobij ſuccedens, præfuit annis viginti ſex, qui Monasterium in multis ædificijs illuſtravit. His temporibus claruit Rupertus Monachus Cœnobij ſancti Albani prope Moguntiam, vir in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, Græcè & Latinè peritus, & non minùs carmine, quàm proſâ exercitatus: qui ſcholæ Monastiæ in eodem Cœnobio multis annis præfuit, & plura ingenij ſui monumenta poſteris reliquit. Vitam in primis ſancti Martyris Albani carmine deſcripſit, librum unum. Epigrammaton quoque & diverſorum carminum librum unum. Chronicon, ſive Historiam ſui Monasterij, librum unum. Sermones, & Homilias denique plures lucubravir, non ſperndæ lectionis. De muſica inſuper, quædam etiam alia compoſuit, quæ in manus noſtras non venerunt.

Claruit hiſ etiam temporibus Sebulo Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, vir prudens atque magnificus, qui ob rerum multarum experientiam, & Regibus Galliarum, & Principibus metuendus erat. Is dum caſtellum quoddam in Aquitania ſitum incautius expugnaret, icu lapidis percuffus interiit. Eutrandus etiam Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus hæc tempora ſuâ eruditione reddidit clariora. Fuit enim vir omnifariam doctiſſimus, Græcè & Latinè peritus; carmine quoque ſimul, & proſâ multum exercitatus. Hic aliquanto tempore fuit Cancellarius Berengarij Regis Italiæ, à quo tandem pulſus venit in Germaniam, & apud Franckenfurt poſitus ſcripſit inſigne opus, hiftoriam ſui temporis, & tyrannidem ipſius Berengarij continentè, quod vocabulo græco Antapodoſin, id eſt, retributionem prænotavit, & in libros ſeptem diſtinxit. Scripſit autem memoratum opus ad Regimundum Liberitanæ Hiſpaniarum Eccleſiæ Pontificem, carmine & proſâ, ſed & Græco ſermone intermiſtum, quod in præ-

Henric. fit  
Archiepiſ.  
Rhemorū.

Brumia de-  
ſtruitur à  
Nortman-  
nis.

Hugo fit  
Abbas Ful-  
denſis.

Sebulo Ab-  
bas S. Dio-  
nyſij Pari-  
ſienſis.

Eutrandus  
Hiſtorio-  
graphus.

in præfato Franckfordiæ oppido incæpit; & ut ipse testatur, in Constantinopoli complevit. De alijs, quæ scripsit, hætenus nihil invenire potuimus. Claruit etiam in Burgundia his temporibus Berno Comes fundator, & primus Abbas Monasterij Gigniacensis, vir doctus & sanctissimæ conversationis, qui multis in vita, & post mortem fertur coruscasse miraculis. Nobilis quidem genere, sed multo nobilior fide, multorum Monachorum Pater exitit. Wilhelmus etiam Comes Alverniæ cognomento pius, & Aquitaniæ Dux hisdem temporibus, fide, conversatione, moribus, religione, atque doctrinâ maximo in pretio fuit: qui cum prole careret mortali, Deum, sanctumque Benedictum habere volens hæredes, Monasterium Cluniacense paternæ hæreditatis locum fundavit in Burgundia, quod multis prædijs, & proventibus magnificè dotavit; in quo primum Abbatem habere meruit sanctum Odonem Gigniacensis Cœnobij memorati, sub Bernone sanctissimo Abbate Monachum, virum æternâ memoriâ dignum, qui tam eruditione scripturarum, quàm integritate morum apud omnes magno in pretio fuit. Hic ante Religionis ingressum magnus in arte musica magister fuit, & Archicantor Ecclesiæ Turonensis, qui auditâ famâ sanctitatis prædicti Bernonis ad eum venit, & de manibus ejus sanctæ Religionis habitum humiliter suscepit. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula vitam S. Gerardi, librum unum: Laudes quoque S. Martini Episcopi Turonensis: Chronicon sive historiam succinctam temporum: homilias quoque, sermones, hymnos & cantus varios in laudes & honorem SS. Patrum composuit. Rogatu quoque fratrum suorum libros Commentariorum in Job sanctissimi Papæ Gregorij magni abbrevians in unum volumen comportavit. Item claruit hisdem temporibus in Cœnobio S. Aurelij Hirsaugiensi primo Transpontem sub regimine Harderadi Abbatis Sigismundus Monachus tam in divinis scripturis, quàm in sæculari litteratura non infimus, vitâ & moribus conspicuus, & declamator sermonum egregius, quem ferunt multorum postea suffragio in Ecclesia Halberstatensi apicem meruisse Pontificatus, quem laudabiliter gubernavit annis triginta, & jacet in eadem Ecclesia sua cathedrali tumulatus. Cuzigo quoque alius & ipse sub Harderado Abbate hujus Cœnobij Monachus fuit in omni scriptura tam divina quàm humana doctissimus, & magnâ prudentiâ commendatus, qui sub Arnulfo Imperatore Abbas Monasterij regalis S. Nazarij in Laurissa prope Wormatiam fuerat ordinatus propter excellentiam sapientiæ suæ; in quo uno tantum præfuit anno, mortèque sublatus in eodem Monasterio jacet sepultus. Fuit & Herdericus, hujus Cœnobij Monachus eodem tempore in pretio habitus; vir ingenio clarus, & in omni scientiarum genere doctissimus, qui, ut Menfridus est testis, multa & varia conscripsit opuscula, præcipuè in Musica, & varios in honore Sanctorum cantus ordinavit: carmina quoque diversa & multa epigrammata conscripsit. E cujus opusculis adhuc nihil me vidisse memini, præter hos duos versiculos, quos memoratus scriptor eum dixisse recitat, alterum super cibum, alterum verò super potum loco benedictionis, quorum primus: *Appositis Christi benedicat dextera donis.* Secundus autem: *Alma Dei nostrum benedicat dextera potum.* Brevis quidem, sed conveniens festinanti benedictio, ne potaturus Christi omnino videatur oblitus.

Berno ex  
Comite  
Abbas Gigniacensis.

Cluniacensis Monasterii fundatio.

Opuscula  
S. Odonis  
I. Abbatis.

Herdericus  
hujus Cœnobij Monachus.

Hirsaugia  
virorum  
Doctorum  
nutrix.

litus. Claruerunt his ipsis quoque temporibus inter claustrales hujus Cœnobij Hirsaugiensis & alij complures Monachi, tam in divinis scripturis, quam in sæcularibus litteris omnifariam doctissimi, quorum multi multa scripserunt, quæ malitia temporum perpetuâ oblivione sepelivit.

DCCCXCV.

Arnulfus  
Rex intrat  
Italiam.

Anno Harderadi Abbatis quinto, Arnulfus Imperator exercitum duxit in Italiam, eamque in manu forti obtinuit, Guidone fugiente, & vim armorum ejus sustinere non valente. Inde Arnulfus expeditionem movit in Lotharingiam contra Nortmannorum incursum, quorum notabilem multitudinem interficiens, reliquos in fugam convertit. Interea Carolus Gallorum Rex pacem, & fœdus cupiens renovare cum Heinrico Duce Saxonum potentissimo, missis Oratoribus illum ad Wormatiam vocavit. Quò cum Carolus ipse Rex unacum multis Episcopis, & Duce prænominato convenissent, diligentissimè tractabatur, ut firmissimis pactionibus Dux Regi ascisceretur. Rex etiam Duci ubiq; modestissimus fieret. Interea dum Principes huic negotio diligentissimè intenderent, Germanorum juvenes & Gallorum, qui ex Celtica adveniant, ut eis mos est, multâ animositate maledictis sese laceßere ceperunt. linguarum idiomate offensi; consertisque manibus se gladijs lethaliter mutuò sauciant. In quo famulatu cum ad sedandam litem Erlebaldu quidam Comes propius accederet, à furentibus occisus est. Rex prodicionem ratus, ocius surgit, suisque stipatur. Dux quoque Henricus infidias, & dolum arbitrans, cum suis ad naves properat, móxque à regijs stipatoribus Rhenum transire compellitur. Existimabant enim & ipsi, in dolo venisse Ducem. Ab eo die capit Dux Henricus Carolo Regi magis esse infestus. Hinc itaque Henrico Saxonie, inde Ruperto fratre quondam Ottonis electi Regis Gallorum, Celtica Gallia Ducibus urgebatur, factusque eorum medius utrimque premebatur. Redit ergo ad interiora Belgica, & in urbe Sueffionica sese recipiens coram amicis suum infortunium querebatur. Veruntamen quantumlibet moneretur ab amicis Episcopis atque Principibus, ut Haganonem omnium malorum causam à se dimoveret, consentire non potuit. Quod cum Rupertus Celtica Dux memoratus in ejus animo fixum perciperet, Henricum Saxonie Ducem præfatum sibi legatione missâ conciliat, & de Regis abjectione, & sui promotione cum amicis diligentissimè tractat. Largitur plurima, & pollicetur infinita. Tandem inductos de transfugio jam Principes evidenter alloquitur: infidia clanculo regi parantur, qui & tandem in palatio Sueffionico per Tyrannum captus est. Herveus autem Rhemorum Archiepiscopus, Regi fidelissimus inopinatè cum mille quingentis equitibus civitatem Sueffionicam ingreditur, stipatusque armatis concilium desertorum terribilis factus penetrat, & liberato Rege traditores fugat. Qui nihilominus post aliquot annos raptus in carcere moritur, ut suo tempore inferius dicetur. Horum omnium causa malorum ipse Hagano fuit.

Conventus  
Gallorum  
in Worma-  
tia.

Rupertus  
Dux infi-  
diatur Regi

DCCCXCVI.

Synodus E-  
piscoporum  
apud Tri-  
burias.

Anno Harderadi Abbatis sexto, Indictione Romanorum 14. magna Synodus 26. Episcoporum, & multorum Abbatum celebrata fuit in villa Triburiensi prope Moguntiam juxta Rhenum: Cui multi Principes & Pon-



& Pontifices interfuerunt ex Germania & Gallia, qui multa utiliter stauerunt. Comparuit in eodem Consilio ex Monacho nostri Ordinis Hatto Moguntinensium Archiepiscopus, Ratbodo etiam nostri Ordinis Archiepiscopus Treuirensis, Hermannus Archiepiscopus Colonienfium, Adalgarius ex Monacho Archiepiscopus Bremensium, Sigismundus ex Monacho hujus Cœnobij Episcopus Mediæ civitatis, id est, Halberstat, S. Ratbodo Episcopus Traiectensis, Sigehardus ex Monacho Episcopus Hildensheimensis, Luthelmus ex Monacho S. Maximini Episcopus Tulensis, Adelbero Episcopus Metensis, Rudolphus Episcopus Herbipolensis, Salomon ex Monacho Episcopus Constantiensis, Bernardus Episcopus Spirensis, & alij numero quatuordecim, quorum nomina memoriæ non occurrunt. Ex Abbatibus verò nomina istorum signata invenimus. Hugo qui & Herigerus Abbas Fuldensis, Harderadus Abbas hujus Cœnobij Hirsaugiensis, Harderadus quoque Abbas Hirsfeldensis, Murhardus Abbas Selgenstattenensis, Adelbertus Abbas Corbeiensis, Wilhardus Abbas S. Albani Moguntinensis, Bertolfus Abbas S. Ferrucij Blidenstattenensis, Regino Abbas Brumienfensis, Hiltvvinus Abbas Lobienfensis. Et alij multi, quorum vocabula non tenemus. Et notandum, quòd villa prænominata Triburia inter Rhenum & Moganum sita non procul à Moguntia in descensu fluminis ab Oppenheim ad manum dextram, olim magna nobilis & inclita fuit, in qua Reges frequenter Conventus celebrare Principum consueverunt: sed nunc parvula est, & nullius æstimationis, nullumque cernitur prioris pulchritudinis remansisse vestigium, præter muros Castellii, quod vocant Burgum Bohemorum, pauculos, qui & ipsi quotidie imminuuntur.

Anno prænotato Formosus Papa injuriatus à Romanis Alemannorum Regem Arnulfum vocavit in Italiã, à quo in pristinam dignitatem restitutus multis Romanorum occisis, Imperij coronã illum donavit.

Arnulfus coronatur in Imperat.

DCCCXCVII.

Anno Harderadi Abbatis septimo Moguntini cives Hattonem Archiepiscopum suum de civitate expulerunt, & in hoc Arnulfum Imperatorem sibi fecerunt infensum, à quo & postea bello graviter fuerunt attriti & Archiepiscopum suum satisfactione præmissã compulsi admittere.

Hatto Archiepiscop.

Anno prænotato Henricus Dux Saxonum bellum gessit cum Danis, fines Saxonie crebrã irruptione devastantibus, & multis eorum occisis, Victor triumphat, fugientisque à finibus Saxonum procul discedere compulit. Hoc ipso anno secundum Chronicum Eckhardi Abbatis Uraugiensis obiit Otto Rex Gallorum melancholiã deficiens, de quo in superioribus dictum est.

Henricus Dux Saxon. Danos superat.

DCCCXCVIII.

Anno Harderadi Abbatis octavo Formosus Papa post multas injurias à Romanis susceptas tandem moritur; cui successit Bonifacius Papa sextus natione Tuscus, & præfuit quindecim tantum diebus, in Basilica S. Petri sepultus. Huic in Pontificatu successit Stephanus sextus patria Romanus, Anagninus antea Episcopus, & præfuit anno uno, mensibus quoque tribus. Qui mox ut Pontifex creatus fuit, tanto Formosum prædecessorem suum odio persecutus est, ut omnia ejus decreta statim abrogaverit, corpusque defuncti exhumari præcepit, indutumque Pontificalibus

Formosus obiit.

Stephanus successit.

H libus

Ambrosius  
Monachus  
Doctor.

libus indumentis mortui caput amputari fecit, & abscissis duobus dextræ illius digitis in Tiberim proijci mandavit. Claruit hisdē temporibus Ambrosius, qui & Ansbertus presbyter, & Monachus Lobienſis Cœnobij, vir tam in divinis ſcripturis quàm in ſæcularibus litteris doctiſſimus, qui ſcripſit in Cantica Canticorum breve ſed utile opus, librum unum. Super pſalmos librum unum, in Apocalypſin Joannis libros 10. De cupiditate librum unum. Et alia plura, quæ non vidimus. Adrevvaldus qui & Albertus Monachus Floriacenſis, vir in omni doctrina eruditiſſimus hac tempeſtate in pretio fuit. Scripſit autem inter cetera ingenij ſui opuscula, miracula S. Patris Noſtri Benediſti à tempore translationis Corporis ejus de Monasterio Caſſinenſi in Floriacum, uſque ad regnum Ottonis ſupraſcripti Regis Gallorum in eodem Cœnobio facta, & multis probat rationibus veram ejus translationem.

Adrewald.  
Monachus  
Doctor.

DCCCXCIX.

Regino Ab-  
bas Brumi-  
enſis depo-  
nitur.

Anno Harderadi Abbatis nono, Indictione Romanorum ſecundâ, Regino Abbas Brumiēſis vir certè doctiſſimus, juſſione Caroli Regis Gallorum à ſua dignitate deponitur, propterea, quòd cum Ruperto Duce Gallia Celta fratre quondam Ottonis ſentire videretur. Quòd verumne fuerit an falſum, ſcire non poſſumus, maximè cum ipſe Regino depositus in chronica ſua ita inter cetera dicat: *Anno Domini DCCCXCIX. Richarius Abbas Monasterij Brumiēſis conſtituitur. Qualiter autem erga me actum ſit, idcirco in hoc loco adnotare diſuli, ne forſè injurijs provocatus, ultra quàm Chriſtiana patientia permittit, perſecutionis meæ cauſas exaggeraſſe viderer.* Reginone per Regem, ſicut diximus, injurioſè deſiſto Richerus Monachus ejuſdem Cœnobij Abbas in locum ejus ordinatus eſt, qui partes Regis ſecutus, tandem ab eo in Episcopum Leodiēſem, abrogato Hiltuino ejus loci præſule, fuit ſublatus, ſicut infra ſuo loco plenius dicitur.

Anno prænotato fames magna genus humanum in Germania & Gallia præcipuè oppreſſit, quæ in multis locis uſque adeò invaluit, quòd ſe homines mutuò (quòd horrendum eſt audire) cogebantur manducare.

Eodem anno Stephanus Papa ſextus obiit, cui Romanus Cardinalium electione ſuccedens præfuit menſibus tribus, diebus 21. Quo mortuo Theodorus ejus nominis ſecundus conſtituitur, & præfuit diebus viginti. Huic ſucceſſit in Pontificatu Joannes Papa nonus, & præfuit annis duobus menſibus tribus, qui Synodum Ravennæ celebravit.

Joannes  
Papa IX.

DCCCC.

Arnulfus  
veneno in-  
firmatur.

Anno Harderadi Abbatis 10. Arnulphus Imperator, dum Guidonem Italia Tyrannū perſequitur, mortis incidiſſe periculū memoratur. Nam Tyrannò fugiente à facie Imperatoris, uxor poculum venenofum paravit, quòd per unum familiarem Arnulfi multâ pecuniâ corruptū ipſi procuravit exhiberi. Quo hauſto per triduum excitari non potuit, apertiſq; oculis nihil vidit, nihil omnino loquebatur, nihil penitus ſentire potuit. Tri-duo tandem exacto ad ſemetipſum aliquantulum reverſus eſt, ſed corpore nimium debilitatus & animo, infecto negotio repedare coactus eſt. Quem recedentem Guido Tyrannus inſecutus ab exercitu ejus interemptus eſt; Imperator autem in Bavariam deportatur infirmus: non enim ſubitò fuit extinctus, ſed longâ infirmitate decoctus. Et ſive operatione poculi

Guido oc-  
ciditur.

poculi venenosi contigerit, sive proprietate medicaminis adhibiti, nescio, tantis coepit scaturire pediculis, quod totius superficiem corporis operientes miserabili plagâ usque ad mortem illum corroserint. Unde postea moritur eodem videlicet anno. 3. Calend. Decembris juxta patrem suum in Odingas Bavariæ cum honore & pompâ Imperiali tumulatus. Post cujus mortem Ungari magno suorum collecto exercitu Bavariam ingrediuntur, villas & Castella diruunt, Ecclesias igne consumunt, populos sine discretionem ordinis, ætatis vel sexûs crudeliter occidunt. Et quo magis timorem sui omnibus incuterent, se interfectorum sanguine potant. Simili rabie provinciam Moravianorum, quam eorum auxilio Imperator Arnulfus suo dominio subjecerat invadunt, sibi que vendicant, ac deinde paulatim per omne ferme Imperium grassantur.

Arnulfus Imper. corroditur à pediculis.

Ungari devastant Bavariam.

DCCCCI.

Anno Harderadi Abbatis XI. Ludovicus Arnulfi defuncti Imperatoris filius in oppido Franciæ Orientalis Forcheim nuncupato Rex Romanorum creatus est, qui tamen propter sævitiam Tyrannorum in Italia ad coronam Imperij non pervenit. Regnavit autem annis ferme duodecim. Denique à Principibus Lotharingiæ, qui offensi erant Centeboldo spurio, invitatus ad regnum totius Belgicæ, cum exercitu intravit, & promissum sibi regnum liberè obtinuit. Centeboldus autem posteaquam multa commisisset mala, regnum multâ prædâ, incendio, & cæde cruentasset, tandem à Comitibus Stephano, Gerardo & Manfrido in bello fuit occisus, homo crudelitatis amicissimus.

Ludovicus fit Imperat.

DCCCCII.

Anno Harderadi Abbatis 12. Ungari Carinthiam invadunt, & commissa in Sabbatho sancto paschatis pugna vincuntur à Christianis in nomine & fide ipsius Domini nostri Jesu Christi pugnantibus. Eodem anno Saraceni ab Africa missi à suo Rege in Italiam, ut Apuliam & Calabriam sub illius ditionem redigerent; quibus fortiter debellatis, Romam versus girantes Garelianum montem occupant, ibique munitione sibi factâ, multas Italiæ urbes debellaverunt, omnia incendio replentes.

Ungari Carinthiam devastant.

DCCCCIII.

Anno Harderadi Abbatis 13. Joannes Papa 9. moritur, cui Benedictus ejus nominis quartus succedens præfuit annis 4. Hoc ipso anno mortuus est Franco Episcopus Tungrensis sive Leodiensis, vir magnarum virtutum, doctrinâ & sanctitate multum venerabilis. Cui in Pontificatu successit Stephanus Clericus Ecclesiæ Metensis, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, nec minus sanctitate, quàm eruditione clarissimus, qui inter cetera ingenij sui opuscula scripsit ad Hermannum Archiepiscopum Coloniensem vitam & passionem sancti Lamberti Martyris atque Pontificis elegantiore Stylo. Hic etiam ex libro Albin Abbatis Turonensis cantum ordinavit, de Sancta Trinitate, quo in octavis Pentecostes Gallica jam utitur Ecclesia. Item de Inventione S. Stephani, de S. quoque Lamberto, & alijs multis Sanctis cantus varios ordinavit. Et alia quàm plurima fertur lucubrâsse.

Benedictus Papa quirit.

Stephanus fit Episcop. Leodiens.

DCCCCIV.

Anno Harderadi Abbatis decimo quarto, Elfredus Rex Anglorum regnare capit, & regnavit annis ferme quadraginta; vir in omni con-

S. Elfredus fit Rex Anglorum.

verſatione ſua Chriſtianiſſimus : prudentiâ, & eruditione ſcripturarum celeberrimus, & multâ ſanctitate conſpicuus : qui horas diei, & noctis in tres partes diviſit æquales. Et primas quidē octo horas deputavit Deo, in quibus orationi, lectioni, meditationi, & ſcripturis ſanctis in toto vacare conſuevit. Secundas octo horas ad procurandum negotia Regni, prout neceſſitas poſtulabat, impendere ſolebat; ultimas verò horas octo in cura ſui corporis prudentiſſimâ diſtributione expendebat. Plura in Anglia pro Dei honore Cœnobîa conſtruxit : in quibus Domino famulantes abundantiſſimè providit; miſericordiſſimus fuit in pauperes, & omnia eis neceſſaria voluntate promptiſſimâ, etiâ ſuâ manu quotidie miniſtrabat. Anno quoq; prænotato Fulco Rhemorum Epifcopus, de quo per anticipationem ſuprà eſt dictum, anno Hardeſadi Abbatis tertio, à quodam ſatellite Balduini Comitis Flandriæ occiſus eſt, propter Abbatiam ſancti Vedasti Atrebatenſem. Erat enim Baldevvinus Comes, cum alijs deſertoribus conſpirans in Carolum Regem Gallorum : Fulco autem Archiepiſcopus Regi fideliffimus perfeverabat. Quo Rex comperto in Baldevvinum fertur, ac multâ obſidionis vi caſtrum Atrebatenſe ab eo aſtulit, & cum tota Abbatia ſancti Vedasti Fulconi Archiepiſcopo prædicto concedit. Verùm cum poſt aliquot annos propter nimiam locorum diſtantiâ, & itineris longinquitatem, cauſarumque incommoditatem, Altmarum Comitem accerſiens; Abbatiam ſancti Medardi Sueſſionenſem, quam ipſe Comes tenebat, ab eo accepit : & pro ea prænominatam Abbatiam ſancti Vedasti cum Caſtro Atrebatenſi Comiti Altmaro reſignavit, de conſenſu Regis Caroli. Hinc nimirum Amaricatus Comes Flandriæ Baldevvinus ad ultionem ſeſe penitus convertit. Amicitiam ergo circa Archiepiſcopum ſimulat : eique per Legatos multam benevolentiam, & fidelitatem mandat. Illud tamen multâ curioſitate explorat, utrum privatus, an cum regijs copijs palatium petat : privatum multo niſu impetere cupiens. Intereâ verò contigit Epifcopos Belgicæ convocari ad Regem : quo iturus & Fulco iter cum paucis accelerat. Cui mox in via Wimarum quidam cum cohorte, miſſus à Baldevvino Comite occurrit, intercipientſque cum ſuis Pontificem, fugiendi locum nulli conceſſit, omnes circumvallantur, & pauci trucidantur à multis. Wimarum Archiepiſcopum adortus inermem, lanceâ tranſfixit : atque inter ſuos ſeptem vulneribus impoſitis præcipitat. Cui cum adhuc ictum intenderet, quidam ex miniſterialibus Archiepiſcopi, multo ejus amore ducti ſuper eum procumbunt, qui etiam mox cum eo tranſfixi & occiſi ſunt. Quatuor tantum fugâ elabuntur : qui factum regi denunciaverunt in civitate Rhemorum exiſtenti cum Epifcopis. Rex autem reſolutus in lachrymas, de caſu tanti Pontificis vehementiſſimè dolebat. Itaque occiſum Præſulem cum ſuis ad civitatem portari juſſit : quem Epifcopi tunc præſentes, cum debito honore ſepulturæ tradiderunt. Inito tandem Conſilio Wimarum cum ſuis complicitibus horribili anathemate damnârunt. Qui in brevi deficiens, inſanabili hydropis morbo à Domino percuſſus eſt. Ventre itaque turgidus, exterius quidem lento igne, interius verò graviſſimo incendio urebatur. Pedum tumor ſubſecutus eſt maximus : vermibus pudebunda ſcuturiebant : crura tumentia ac lurida, anhelitusque foetidus. Viſcera etiam paulatim per collum diſfluebant : & ſuper hæc omnia

Balduinus  
Flandriæ  
comes per-  
verſus.

Wimarum  
Fulconem  
Epifcopum  
interfici.

omnia  
jugem  
induce  
omnia  
abomina  
cum acco  
nitione Ch  
gitiſtus a  
vita dece  
Archiepi  
bio S. B  
poſtrem  
mana do  
poſt mor  
chus ſucc  
to Harde  
deſerens,  
logo Sane  
ſpectabili  
populi ele  
ligione ſt

A  
Ludovic  
ſcopum  
Diaceſin  
perator co  
parat. C  
Haſſia die  
micatum.  
radum L  
& fratrem  
bruarij an  
ctione Re  
norum L  
prope Me  
movens c  
cipibus, u  
& locum i  
dovicus ur  
orum ma  
Adelberti  
dione vall  
ſterium no  
Bamberge  
ſcopi Mo  
ſis Decem  
rit referer

omnia sicim continuè patiebatur intollerabilem. Insomnietatem quoq; jugem incurrit: qui & esuriebat interdum, sed illati mox cibi fastidium inducebant. Omnibus igitur præ nimio fœtore factus intollerabilis, omniumq; odio habitus: ab amicis quoque desertus, & in tantum abominabilis cunctis, ut nullus Medicorum saltem medendi causâ ad eum accedere posset, propter intollerabilem fœtorem: omni communi Christianitatis privatus: à vermibus jam ex parte consumptus: flagitiosus ac sacrilegus homicida, cum tormentis maximis ab hac tandem vita decessit. Fuit autem Fulco prænominatus Rhemorum sanctissimus Archiepiscopus Ordinis Divi Benedicti, primùm Monachus in Cœnobio S. Bertini, deinde communi fratrum electione factus est Abbas, & postremò Archiepiscopus, vir in omni litteratura, tam divina, quam humana doctissimus, & regularis disciplinæ amator perspicuus, qui multis post mortem miraculis claruit. Cui in Abbatia S. Bertini Bado Monachus successit, vir & ipse doctus atque sanctissimus, qui anno prænotato Harderadi Abbatis quartodecimo, metu Balduini comitis, Flandriam deserens, intravit Angliam, ibique usque ad mortem perseverans, catalogo Sanctorum insertus est. In Archipontificatu Rhemenfi Herveus, vir spectabilis & Palatinus, sicut supra diximus, Fulconi, Præsulum, Cleri & populi electione successit, qui Ecclesiam sibi commissam, in magna religione strenuè facis gubernavit.

DCCCCV.

Anno Harderadi Abbatis 15. Adelbertus comes Babenbergensis, Ludovico Regi Romanorum inobediens & rebellis, Rudolphum Episcopum Herbipolensem Regi fidelem, de sua Ecclesia fugat, & totam Diœcesim ferro & incendio crudeliter devastat. Hinc Ludovicus Imperator commotus, exercitum congregat, & bellum Adelberto Comiti parat. Commititur itaque prælium in ea parte Thuringiæ, quæ nunc Hassia dicitur, juxta Fridislariam, & ab utraque parte atrociter fuit dimicatum. In eo quidem prælio comes Adelbertus prænominatus, Conradum Lotharingiæ Ducem Patrem Conradi postea Imperatoris primi, & fratrem Ludovici Regis interfecit, septimâ & vicesimâ die Mensis Februarij anno Domini prænotato, videlicet nongentesimo quinto, indictione Romanorum octavâ. Eodem anno in Mensè Julio, Rex Romanorum Ludovicus, convocavit principes Regni ad villam Triburiensem, prope Moguntiam: & habuit cum eis mysterium Consilij sui, querelam movens contra comitem Adelbertum gravissimam: imperavitque principibus, ut se præpararent ad prælium contra rebellem, diem eis statuens & locum in idipsum conveniendi. Postea in Mensè Septembri, Rex Ludovicus una cum auxilio principum suorum collectum bellatorum exercitum magnum duxit per Franciam Orientalem, & Castellum comitis Adelberti memorati, circa Moganum, quod Tharissa dicebatur, obsidione vallavit, cepit, & destruxit funditus: qui locus postea in Monasterium nostri ordinis mutatus est. Adelbertus autem comes sese in castro Bambergensi fortissimo cum suis continebat; qui tandem dolo Archiepiscopi Moguntini, ad Regem ductus, capite truncatus est, nonâ die Mensis Decembris anno præsignato; quod quomodo sit factum, breviter fuerit referendum. Cùm rex Ludovicus anxius æstualet, quomodo posset

H 3

Adel-

Wimarum  
ultio divi-  
na perse-  
quitur.

S. Fulco  
Monachus  
antea fuit.

S. Bado  
Abbas post  
Fulconem.

Rudolphus  
Episc. Her-  
bipolensis  
fugatur.

Conradus  
Dux Lo-  
tharingiæ  
occiditur.

Castrū The-  
ris destruitur.

Adelbertum comprehendere & occidere, consilium habuit cum Archiepiscopo Hattone, qui dixit ad eum: *Anima quior esto Rex: & noli me turbare, ego te hac sollicitudine citius relevabo, & inimicum hunc tuum tibi vivum adducam.* Consurgens Hatto Archiepiscopus venit ad Comitem Adelbertum, Bambergæ ad castrum munitissimum residentem, & simulans se amicum intronititur; exorsusque sic comitem affatur: *Tui causâ vir magnifice adveni, tuam atq; tuorum quero salutem. Hactenus tuâ prudentiâ, tuo consilio, tuâ fortitudine imperium floruit: pax inter Principes fuit. At postquam malevolentium invidiâ recessisti ab imperio, discordie venenum ubique emerfit, unde & respublica vehementer confunditur, & tua negotia in deterius quotidie prolabantur. Cernis etiam, in quantis malis hodie sis constitutus: & quibus persequentibus urgearis Principibus: ante quorum faciem nec stare poteris nec resistere. Ecce jam totum Comitatum operuit calamitas, & nisi revertaris ad gratiam Regis, omne contra te provocasti Imperium. Sed audi consilium meum, & perge mecum ad presentiam Domini nostri Regis: ubi tot invenies intercessores, quot Principes: Ego quoq; fideliter pro te agam; teq; in fide mea sub injurando, salvum & incolumem huc in tua reducam.* Itaque persuasus comes Adelbertus inductione Hattonis, receptâ fide & promissione seductoris ire consentit. Cùm ergo manè jam essent ituri, dixit comes ad Pontificem: *Domine placeat vestra Sanctitati; oro, prius gustare aliquid, ne diuturno jejunio nimium hodie gravemur.* Erat autem via quatuor ferè milliarium Theutonicum de castello Bambergensi ad Theris, ubi Rex Ludovicus finem negotij præstolabatur cum exercitu. Respondit Archiepiscopus comiti dicens: *Nimis est manè, non possum hac hora comedere.* Cùmque castellum egressi pergerent, ac paululum processissent, dolofus ingemiscens Pontifex, clamavit dicens: *Heu quàm frustra petii, qui oblata spernit. Quare non acquievimus tuo consilio: ut vel parum quid degustassemus; grave nobis erit totum jejunare diem.* Cui Adelbertus, obsecro, inquit, *Domine revertamur ad castrum & parum comedamus: quoniam nec longè sumus digressi, nec tempus deerit nobis ad Regem progrediendi.* Ad quem Archiepiscopus. *Rectè, inquit, locutus es. Revertamur in castrum, & modicum comedamus.* Adelbertus comes nihil mali suspicatus de Pontifice, simplicibus auribus ejus verba in dolo prolata suscipiens, ad castrum cum eo revertitur. Dato, acceptoque prandio, denuo egrediuntur; & nullâ securitate aliâ interpositâ, simul ad Regem profecti sunt; mox verò, ut venerunt in exercitum Regis, Adelbertus capitur, & decreto Principum capitali sententiâ condemnatur. Qui videns se moriturum, Hattonem Archiepiscopum super jurata securitate inclamavit, dicens: *O Domine Episcopo, ubi est fides tua, ubi promissio, ubi juramentum?* Ad hæc Archiepiscopus Comiti tale fertur dedisse responsum: *Ego, quod tibi juraveram, opere complexi, semel enim salvum, & incolumem te reducturum in tua promisi: salvum & incolumem semel reduxi. Cur secundo egressus es? satisfeci juramento: qui non bis, sed semel te reducturum promisi.* Et Comes, ô dolose Præsul, inquit, *en tuis fraudibus deceptus innocens morior: sed crede mihi, quoniam citò recepturus es mercedem operis tui. Omnipotens Deus animam meam de tuis manibus indubitanter requiret.* Et tali quidem modo Comes Adelbertus Bambergensis, Nobilis, & strenuus comprehensus, capite truncatus est: & in Monasterio de suo patrimonio postea fundato in eo loco, ubi occubuit, sepultus. Est autem

Hattonis  
Archiepiscopi  
dolosus inco-  
mitem.

Hatto de-  
cepit comi-  
tem.

Ad castrum  
Hatto do-  
lous rever-  
titur.

Comes ca-  
pite trun-  
catur.

tem C  
vium  
tur, in  
quod  
xii De  
Ordinis  
Ecclesia  
fuit. A  
pa, ejus  
lo succo  
sua quer  
& domi  
tus, Dor  
gesimo:  
Ipse itaq;  
cur malis  
quam Le  
sepimo  
gus ejus

Ann  
servientes  
qui tamen  
tato, obij  
apud san  
Fratrem  
daciâ plu  
Gallorum  
postea Re  
in carcere

Fuit  
cus Dux S  
stus, multa  
niæ, mato  
Lutolphu  
Hic Lutol  
nici; quor  
tum admi  
pugnandus  
datione aq  
sur fugien  
omni virtu  
res, quart  
Romanoru  
tera verò G

Ann  
rato Saxo

tem Cœnobio nomen Therissa, quod vulgò Theris, circa Moganum Fluvium in Diœcesi Herbipolensi, non procul ab Hasfordia situm, nuncupatur, in eo videlicet loco, ubi quondam fuit castrum Adelberti Comitis: quod Ludovicus Romanorum Rex tertius, sicut diximus, cepit, & destruxit. De bonis verò memorati Comitis Adelberti, non solum prædictum Ordinis nostri Monasterium fundatum extitit, sed etiam Bambergensis Ecclesia in Episcopatum, ut legimus, per sanctum Heinricum sublimata fuit. Anno quoque prænotato, Benedictus Papa moritur: cui Leo Papa, ejus nominis quintus, Monachus Ordinis sancti Benedicti de Brandalo succedens, præfuit diebus quadraginta tantum. Hic habebat in domo sua quendam familiarem, nomine Christophorum, hominem superbum, & dominandi cupidine inflatum: qui Presbyteratûs honore non contentus, Dominum suum conjecit in carcerem, die Pontificatûs sui quadagesimo: ubi ex animi mœrore deficiens in brevi quidem mortuus est. Ipse itaque Christophorus, Leone dejecto, Pontificatum invasit, quem sicut malis artibus acquisivit, ita & citò, & turpiter amisit: & mensuram, quam Leoni Domino suo mensus fuerat, in sinum suum recepit. Nam septimo mense Pontificatu dejectus, in Monasterium detruditur: & Sergius ejus nominis tertius in Pontificatu subrogatur, & præfuit annis VII.

DCCCCVI.

Anno Harderadi Abbatis 16. Ungari per Imperium totum ubique favientes, magnâ tandem clade suorum acceptâ retrocedere coacti sunt: qui tamen resumptis viribus acrius postea surrexerunt. Anno prænotato, obiit Otto Rex Gallorum, de quo longè suprâ fecimus narrationem, apud sanctum Dionysium, ut suprâ diximus, more regali sepultus. Hic Fratrem reliquit superstitem nomine Rupertum, virum industriâ, & audaciâ plurimum, qui post mortem fratris in verba Caroli Regis Novelli Gallorum jurans, Ducatum totius Galliæ Celticæ ab eo suscepit. Verum postea Regem deserens, multa in eum mala commisit, quem mori etiam in carcere fecit, ut suo plenius loco dicemus, partimque diximus.

Fuit his temporibus magno apud Carolum Regem pretio, Henricus Dux Saxonum, qui post Conradum primum Rex Romanorum factus, multa prælia fortiter gessit, cujus pater fuit Otto Dux Magnus Saxoniarum, mater Hadvvigis, avus verò paternus Dux ille Magnus Saxonum Lutolphus, qui de stirpe Widekindi Regis, ac primi Christiani descendit. Hic Lutolphus habuit filios duos, Brunonem & Ottonem, patrem Henrici; quorum prior Bruno post obitum Patris cum totius Saxoniarum ducatum administrasset per annos aliquot, exercitum contra Danos duxit ad pugnandum, qui Saxonum fines crebrâ irruptione turbaverant, & inundatione aquarum repentinâ circumfusis, non habens locum pugnandi, aut fugiendi, periit cum omni exercitu, fratri natu quidem minori, sed omni virtute multò potiori relinquens Ducatum. His duæ fuerunt sorores, quarum altera vocabatur Mathildis, quæ Ludovico Regi nupsérat Romanorum, Arnulfi Imperatoris filio, de quo liberos non suscepit. Altera verò Gerberga nomine, cuidam magno Principi Gallorum nupsit.

DCCCCVII.

Anno Harderadi Abbatis 17. Carolus Rex Gallorum, cum memorato Saxonum Duce Henrico potentissimo foedus inire statuit, & pro eo in Sa-

Cœnobium  
Theris.

Leo Pap. V.  
ex Monac.

Christoph.  
invasor Pa-  
patûs.

Ungari de-  
vastant Im-  
perium.

Otto Rex  
Gallorum  
obiit.

Rupertus  
Galliæ Cel-  
ticæ.

Henricus  
Dux Saxon.  
potens.

Lutolphus  
Dux magna  
Saxoniarum.

Carolus Rex  
Gallorum  
fuit.

in Saxoniam perſonaliter venit, qui cernens tantam Ducis potentiam, obſtupuit, & ejus amicitiam iſtantius poſtulavit. Nam iſte Henricus ab eo tempore, quo Saxones fidem Chriſti ſuſceperunt per Carolum Imperatorem Magnum compulſi, primus liberè Saxonibus imperavit.

*DCCCCVII.*

Rudolphus  
Epi. Herbi-  
polenſis o-  
bij.

Anno Harderadi Abbatis 18. obiit Ruodolphus Epicoſopus Herbi-  
polenſis in die inventionis ſancti Protomartyris Stephani, quæ eſt terti-  
dies menſis Auguſti. Poſt hunc in Pontificatu Peapolitano ſucceſſit Pra-  
cholfus, & præfuit annis ferme quatuor, ut legitur. Hoc ipſo anno Un-  
gari devaſtaverunt Bavariam, & multis Chriſtianorum millibus interfe-  
ctis, cum præda, & ſpolijs in ſua redierunt.

Ludovicus  
Berengariū  
Tyrannum  
pellit.

Eodem quoque tempore, Ludovicus filius Boſonis in Italia, Beren-  
garium tyrannum expulit, & ſibi regnum uſurpavit. Cūque totius I-  
taliæ regno pro ſuo arbitrio liberè potiretur, diſmiſſo exercitu, Veronam  
cum paucis ingreditur, captuſque à civibus per traditionem, & revocato  
Berengario, lumine oculorum excæcatur. Berengarius autem ex tunc  
potenter tyrannizat in Italia non ſine multorum contumelia.

*DCCCCIX.*

Eberhardus  
Monachus  
Trevirenſ.

Anno Harderadi Abbatis 19. obiit Eberhardus Monachus, & Scho-  
laſticus ſancti Matthiæ Apoſtoli in ſuburbano Trevirorum, qui inter ce-  
tera ingenij ſui monimenta complura ad hiftoriam Trevirorum addi-  
dit, vitam quoque ſanctorum Eucharij, Valerij, & Materni primorum  
Trevirenſium Pontificum, tam metro, quàm proſa elegantiori ſtylo  
conſcripſit. Hymnos etiam varios, cantus, & proſas in laudem San-  
ctorum plures edidit; ac diverſa Epigrammata lucubravit. Poſt hunc Ri-  
chardus monaſticæ ſcholæ præficitur, quam ſcribendo, & docendo per  
annos fermè 16. ſtrenuè gubernans, multos in omni ſcriptura discipu-  
los eruditos inſtituit.

S. Wymo-  
cx Monach.  
Archiepiſc.

Anno prænotato, ſanctus Wymo Corbejenſis in Saxonia Cœnobij  
Monachus, in Archiepiſcopum Eccleſiæ Bremeniſis eligitur: vir doctus,  
atque ſanctiſſimus, & præfuit utiliter annis 18. quibus exactis, pro Dei  
amore tranſiit in Gothiam, annuncians ibidem degentibus fidem Chri-  
ſti: quo ferente auxilium, totam penè inſulam ad agnitionem veritatis  
convertit. In eadem inſula tandem in Domino quievit, & tam in vita,  
quàm poſt mortem infinitis penè fertur coruſcâſſe miraculis. Hujus  
ſanctiſſimi Præſulis Wymonis diſcipulus, & comes peregrinationis fuit  
Sigebertus, memorati Cœnobij Monachus, in omni varietate ſcriptura-  
rum doctiſſimus, qui mortuo in Gothia ſancto Wymone, ad Corbejam  
reverſus, vitam, peregrinationem, & miracula ejus, gemino deſcripſit e-  
loquio, videlicet proſa ſimul, & metro. Alia inſuper nonnulla edidit,  
quibus ſui memoriam immortalitati confecravit.

Sigebertus  
Monachus  
Corbejæ.

Ungari de-  
vaſtant Sa-  
xoniam &  
Thuringiã.

Anno etiam prænotato, Ungari gens nimium inquieta, factâ de-  
nuo irruptione Thuringiam ſimul devaſtant, & Saxoniam; ſed virtu-  
tem, & potentiam Henrici Ducis Saxonie non ferentes, retrocedere co-  
acti ſunt, multas tamen villas, & oppida funditus incendio deſtruxe-  
runt.

*DCCCCX.*

Adelbero  
Monachus  
S. Aurelij.

Anno Harderadi Abbatis 20. Adelbero Monachus hujus Cœnobij  
ſancti Aurelij Hirſaugienſis, Luthelmi diſcipulus, in omni varietate ſcri-  
ptura-



peritarum doctissimus, postulante Abbate, & Conventu ad Moguntiam mittitur, & in Monasterio sancti Albani Scholasticus ordinatur; ubi Monachos in omni scientia gloriosè instituens, magnam eruditionis suæ famam, & laudem obtinuit: qui non multos post annos, iussione Herigeri Moguntini Archiepiscopi, Abbas Monasterij sancti Ferrucij factus est.

Anno prænotato, Ungari terminos suos denuo cum magno exercitu egressi, Franciam orientalem, Saxoniam, & Allemanniam, quæ nunc Suevia dicitur, devastant, igne, ac ferro omnia demolientes. Hinc moti Principes, & Duces dictarum Provinciarum, plura cum eis bella, non satis fortunatè gesserunt, & multus Christianorum sanguis effunditur.

DCCCCXI.

Anno Harderadi Abbatis 21. Franci orientales & Saxones iterum pugnaverunt cum Ungaris, & multa ab eis damna, tam rerum, quàm corporum, multo tempore sustinere compulsi sunt. Anno prænotato 14. die Kalendarum Septembrium, hoc est, nonâ decimâ die ipsius Mensis Augusti, obiit sancta Richardis nostri ordinis Abbatisa, quondam Imperatrix, Caroli Grossi relicta uxor vidua: mulier S. conversationis, quæ multis post mortem coruscavit miraculis. Claruit hisdem quoque temporibus Wilhelmus ex Comite Monachus Cœnobij Gellonensis, vir magnæ humilitatis, & eximiæ coram Deo & hominibus sanctitatis, qui ardentem clibanum suo scapulari purgavit, & in nullo laesum est vestimentum. Multis quoque alijs & signis & virtutibus, tam vivus, quàm mortuus valde clarus enituit, & in SS. Catalogum relatus est, cujus festum quinto Kalend. Junij colitur.

DCCCCXII.

Anno Harderadi Abbatis 12. obiit Ludovicus Romanorum REX ejus nominis tertius, qui propter tyrannidem Berengariorum in Italia suo tempore savientium, ad coronam Imperij non pervenit. Hic filius quondam Arnulfi Imperatoris, paululum ante vitæ finem uxorem duxerat Lucardem, vel ut alij scribunt, Mathildem filiam Ottonis magni Ducis Saxonum, Sororem videlicet Heinrici postea Imperatoris I. ut quidam scriptores voluerunt. Sed eorum mihi sententia verior apparet, qui uxorem ejus filiam fuisse dicunt Lutolfi Ducis Saxonum, sororem videlicet Ottonis, de quibus superius anno Harderadi Abbatis 16. plenius dictum est. Regi autem Ludovico cum non esset filius, post mortem ejus omnis populus Francorum Orientalium & Saxonum quærebat diadema imponere Regni prænominato Duci Ottoni, filio Lutolfi magni: qui jam senio gravatus, onus subire Imperij recusavit. Ejus autem consilio Conradus Dux filius Conradi quondam Ducis Lotharingiæ, quem occisum ab Adelberto Bambergensium comite diximus, Romanorum Imperator Principum electione designatus fuit.

Anno prænotato moritur Bernardus Episcopus Spirensis Monachus ante Pontificatum Ord. Divi Patris Benedicti, cui successit in Episcopatu, Amalricus ejus nominis II. & præfuit annis 25. mensibus decem. Alibi legitur, quod annis præfuerit 35. quod magis videtur convenire veritati pro eo, quod anno Christianorum nongentesimo quadragesimo Mercke cum omnibus appendicijs suis ab Ottone I. in beneficium acceperit. Eodem quoque anno moritur Dracholfus ex Monacho novæ civitatis,

I

prope

il obol  
-stt ang  
at tologid

Ungari de-  
vastat Frã-  
ciam & Sue-  
viam.

Ungari pu-  
gnant cum  
Francis.

S. Richard.  
ex Impera-  
trice Moni-  
alis.

S. Wilhel-  
mus ex Co-  
mite Mo-  
nachus.

Ludovicus  
Rex Rom.  
obiit.

Otto Saxo,  
Dux Mag.

Amalricus  
fit Episcop.  
Spirensis.

Diodo fit  
Episc. Her-  
bipolensis.

prope Rotenfels, Episcopus Herbipolensis, in ordine Pontificum decimus. Cui Successit Diodo, & præfuit annis 24. mensibus duobus, diebus quatuordecim, vir prudens & religiosus.

*DCCCCXIII.*

Conradus I.  
Rex fit Ro-  
manorum.

Anno Harderadi Abbatis XXIII. Conradus filius illius Conradi, quem comes Adelbertus occidit, Francorum ex genere natus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, omnium electione Principum regnum accepit, & annis septem sine corona Imperiali regnavit: quem ultimum fuisse constat de stirpe Caroli Magni Imperatoris inter Reges Orientalium Francorum. Sub quo isti fuerunt potentissimi Germaniæ Principes. Arnulphus dux in Bavaria, qui & Arnoldus more Saxonum dictus est. Burkardus Allemannorum dux, qui nunc Suevi nominantur. Eberhardus potentissimus dux Francorum Orientalium. Henricus dux magnus Saxonum. Giselbertus dux Lothariensium, qui uxorem habuit Girbergam sororem prænominati Henrici ducis Saxonum, simul & Thuringorum. Anno prænotato Berengarius secundus Regnum usurpavit in Italia, & sicut scribit Eutrandus Ticinensis Diaconus, multam in populo tyrannidem exercuit, & Clerum odio maximè persecutus est.

*DCCCCXIII.*

Berenga. II.  
sevit in I-  
talia.

Ungari sũ-  
duntur ab  
Alemaniis.

Anno Harderadi Abbatis XXIIII. Ungari ad depopulationem Imperij rursus effusi, à Suevis & Bavaris juxta fluvium Ennum, qui vulgari-ter Ine dicitur, in magno numero fuerunt occisi. Qui mox viribus resumptis, totum ferè Imperium pervagantes pervenerunt usque ad Basiliam, omnia gladio & igne crudeliter devastantes. Monasterium quoque Fuldense in Buconio nemore situm, in finibus Francorum Orientalium, cum oppido adjacente incendio subverterunt.

Principes  
Regi fiunt  
rebelles.

Anno prænotato, memorati Principes Burkardus dux Sueviæ, Eberhardus dux Franciæ, Arnoldus dux Baviariæ, Henricus dux Thuringiæ Saxoniarumque, & Giselbertus dux Lotharingiæ, cum quibusdam aliis Episcopis atque Principibus, Regi Conrado coeperunt esse rebelles; quos ille tam sapientiæ vigore, quam fortitudinis robore superans ad fidelitatem revocavit. Arnolphus tamen Baviariæ dux non ferens Regis potentiam, cum uxore & filiis declinavit ad Ungaros, & mansit ibi usque ad mortem illius.

*DCCCC XV.*

Hatto Ar-  
chiepiscop.  
obiit.

Anno Harderadi Abbatis 25. Hatto Archiepiscopus Moguntinus moritur, cui Herigerus succedens præfuit annis viginti sex, vir moribus & eruditione præclarus: qui Ecclesiam suam utiliter rexit. Claruit his temporibus Betto Monachus nostri Ordinis, & Prapofitus Monasterij sanctæ Columbæ in Gallia, vir in omni genere doctrinarum eruditus, nec minus vitæ, quam eruditione præclarus, qui propter utriusque doctrinæ scilicet ac vitæ meritum in Episcopum Antistodorense Ecclesiæ sublimatus est, quam verbo simul & exemplo gloriose modestissimeque regens, non sine opinione sanctitatis tandem in Domino quievit, cui & alius nostri Ordinis Monachus successit. Sanctus quoque Wibertus ex comite Monachus, hæc tempora reddidit clariora. Is enim in sæculo quondam dives & potens, divino tactus amore, insignis

Betto ex  
Monacho  
Episc. An-  
tistodor.

S. Wibertus  
ex Comite  
Mon. Gem-  
blacensis.

insigne Monasterium Gemblacense nostri Ordinis in Dioecesi Leodiensi suis impensis à fundamento construxit, & de omnibus necessarijs abundanter & copiosissimè providit. Consummatis verò omnibus, quæ ad novi Monasterij perfectionè videbantur necessaria & opportuna, introductisque Monachis & Abbate, deposito cingulo militari, & ipse fundator in eodem Cœnobio Monachus factus est, & vitam suam in omni puritate Religionis & sanctitatis consummavit, mortuusque Sanctorum Catalogo insertus est; cujus conversationem mores & vitam Sigebertus Monachus ibidem postea descripsit. Claruit his ipsis quoque temporibus sancta Wiboradis virgo, Monialis apud Cœnobium sancti Galli in Suevia, sub regula Divi Patris Nostri Benedicti pro Christi amore inclusa, magnæ Religionis & sanctitatis fœmina, quam omnipotens Deus prophetiæ spiritu illustravit. Nam ipsa prædixit sancto Udalrico tunc adolescenti, & inter Monachos dicti Monasterij conversanti, quòd Augustanus esset præsul futurus, & in virum magnum coram Deo & hominibus sublimandus; cujus Prophetiæ quàm vera fuerit prædictio, novit omnis Alemannorum Ecclesia. Año quoque prænotato Anastasius Papa tertius, qui Sergio successerat, moritur: & Lando patriâ Romanus in locum ejus ordinatur, qui præfuit mensibus 7. & ob id nihil memoriâ dignum agere potuit.

S. Wiboradis Monialis apud S. Gallum.

Lando fit Papa.

DCCCCXVI.

Anno Harderadi Abbatis 26. obiit Lando Papa Romanus, cui in Pontificatu successit Joannes ejus nominis decimus, filius Sergij Papæ, & præfuit annis 13. mensibus 3. qui Saracenos expulit de Italia, qui tandem captus à Romanis in carcere moritur. Ejus temporibus Ungari pluries Italiam ingressi, maximâ Italianes calamitate multo tempore affecerunt, pueros, virgines, & fœminas abducentes captivas, senio verò confectos omnes crudeliter necantes. His ferme temporibus Ursus ejus nominis secundus venetorum Dux, in ordine Ducum nonusdecimus, posteaquam annis duccaverat novem, rebus omnibus quàm potuit optimè dispositis, principatum dimisit, & valedicens sæculo, Monachus est in Cœnobio sancti Felicis in nostro ordine factus, ubi sanctissimè vivens miraculis claruit.

Joan. Pap.

Unga. graviter devastant Ital.

S. Ursus ex Duce Monachus.

DCCCCXVII.

Anno Harderadi Abbatis 27. Indiçtione Romanorum quinta sanctus Ratbodus Præsul Ecclesiæ Trajectensis quartus decimus, tertio Calend. Decembris, migravit ad Dominum Pontificatus sui anno 18. sepultus apud Daventriam, ubi residere in Episcopatu antea consueverat. Hic ante Pontificatum Monachus Nostri Ordinis fuit in omni genere Scripturarum doctissimus, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, vitam sancti Gerhardi. Laudes sancti Martini Episcopi Turonensis. Laudes sancti Bonifacij primi Archiepiscopi Moguntini & Martyris. Vitam quoque sanctæ Amalbertæ virginis Christi ac Monialis nostri ordinis. De sancto quoque Willebrordo Episcopo flores. Sermones & homilias plures lucubravit. Claruit hisdem quoque temporibus Adzo, qui & Henricus, Abbas Monasterij Luxoviensis in Burgundia, vir magnæ Religionis & sanctitatis, nec minus eruditione scripturarum, quàm morum integritate venerandus; qui inter cætera ingenij sui opuscula descripsit Vi-

S. Ratbod ex Monach. Episc. moritur.

Adzo, qui & Henric, scriptor.

ram & miracula sancti Waldeberti tertij Abbatis Luxoviensis in uno volumine. Alia quæ composuit, in manus nostras nec dum venerunt.

DCCCCXVIII.

Harderadus  
Abb. quartus  
moritur.

Anno Harderadi Abbatis 28. inchoato, Ungari Basileam funditus destruxerunt, multis hominum millibus occisis. Anno prænotato Harderadus Abbas senio & infirmitate gravatus, post multos in regimine Monasterij habitos labores beato fine consummatus, decimâ die mensis Augusti, hoc est, in festo sancti Laurentij Martyris ad Dominum migravit, in Ecclesia sancti Aurelij Præsulis cum antecessoribus suis non sine opinione sanctitatis cum honore sepultus. Præsuit autem satis utiliter Monasterio suo Hirsaugiensi in multa providentia & sanctitate annis 27. mensibus 8. diebus verò 19. sub cujus regimine fratrum numerus auctus fuit simul & rerum substantia.

### De Rudolpho hujus Monasterij Hirsaugiensis quinto Abbate; qui præfuit annis septem, mensibus quoque septem, diebus undecim.

Rudolphus  
fit Abbas  
quintus.

**M**ortuo Harderado Abbate Hirsaugiensium Reverendissimo, atque sepulto anno & die memoratis; convenerunt in unum filij Conventus pastore orbati, undecimâ die mensis Augusti: habitoque inter se necessario ex more tractatu, Rudolphum senem Monachum atque Presbyterum ex numero fratrum super se pastorem constituerunt: qui ordinatus in Abbacia præfuit annis septem, mensibus totidem diebus undecim. Sub cujus magisterio regularis disciplina observantia coepit aliquantulum tepescere, & paulatim à pristino fervore declinare. Fuit enim vir nimium pius, ne dicam remissus, otio deditus & umbræ: qui fervorem sanctæ conversationis nec in se conservare studuit: nec errores delinquentium ea quâ debuisset diligentia, correxit. Natione fuit Theutonicus, patriâ Suevus, de magna & nobili Comitum prosapia ortus. Unde cum fratres illum ad curam pastorem experti inutilem, ab officio postea conarentur deponere, metu & potentia amicorum ejus deterriti, prævaluerunt, qui contrariam partem defenserunt. Compulsi ergo patientiam necessario habuerunt, quousque tandem Deo illum vocante de medio, vitam minus regimini utilem morte honestâ commutavit. Nam etsi ad curam animarum profusus videretur inutilis, vitæ tamen propriæ honestatem in omnibus custodivit: & magis ad quietem vitæ Monasticæ, quam ad laborandum in arduis natus esse videbatur.

Regularis  
disciplina  
tepscere  
coepit.

Magna pa-  
rentela Ru-  
dolphi.

DCCCCXIX.

Ungari de-  
vastant Lo-  
tharingiâ.

Anno Rudolphi Abbatis S. Aurelij Hirsaugiensis primo Ungari denovo fines suos in multitudine magna egressi sunt, transeuntésque per Alemanniam & Alsatiâ, Lotharingiam invadunt, & infinita reipublicæ Christianorum ubique damna & mala intulerunt. Anno prænotato tertiâ & vicesimâ die mensis Decembris obiit Conradus Rex Romanorum ejus nominis primus, in Monasterio S. Bonifacij Martyris atque Pontificis apud Fuldâ ante Altare S. Crucis ut ajunt sepultus. Hic ultimus

Conradus  
Rex Roma-  
norû obiit.